

† R. P. Franciscus Xav. Richter (1893-1947) ¹

(Vice-Prov. de Karlsbad)

Fer. VI, 19 Dec. 1947, Graecii (*Graz*) in nosocomio supremum diem obiit R. P. Franc. Richter ex collegio Mautern. Quamquam huic domui vix per annum adscriptus, tamen intra claustra et extra magnam sui aestimationem reliquit.

Natus in Bohemia septentrionali, in umbra celeberrimi Sanctuarii Mariani Philippsdorf, kal. Febr. a. 1893, statim in domo paterna regenerationis sacramentum recepit, cum timerent, ne debilis infans, primus fructus matrimonii vere christiani, supervivere non posset. Tamen supervixit, et hunc filium alii tres liberi secuti sunt. Inde a primis annis Franciscus cognovit S. Alfonsi filios dicto Sanctuario inservientes, unde vocatio eius redemptoristica ortum duxit, cui boni parentes, licet magnis facultatibus minime pollentes, libenter obsecundarunt.

Prima latinitatis elementa Franciscum domi docuere primus ludimister Philippsdorfiensis et noster P. Franciscus Miklas, frater germanus pristini Praesidis Reipublicae Austriacae. Sic puer paratus erat a. 1905 ad ingrediendam secundam classem iuvenatus Katzelsdorf. Exacto quinquennio intravit novitiatum Eggenburg, eoque finito (15 Aug. 1911) per biennium in collegio Leoben, per quinquennium in collegio Mautern studiis vacavit. Ordinatus sacerdos 31 Iul. 1917, primum Sacrum potuit sollemni ritu litare in ipso loco natali (quod tunc paucis neomystis concedebatur), propter praesentiam nostrorum in Philippsdorf. Eodem curru ferroviario advenerat, praeter omnem exspectationem, frater iunior novelli sacerdotis, a superioribus militaribus in commeatum missus. Aderat quoque soror, quae nomen dederat instituto religioso. Sic primitiae pulcherrimum festum familiare evaserunt. Orator Missae sollemnisi fuit venerabilis ve-neratusque ex-Provincialis P. Andreas Hamerle ², qui sacerdotis dignita-tem exaltavit ostendens eum ad altare esse Angelum Domini. Fuit quasi sermo propheticus; nam P. Richter, ad altare sacris operans, revera quidam Angelus apparebat. Post eius obitum certus Styriae occidentalis parochus, in cuius paroecia defunctus nonnisi bis per breve tempus sa-crum ministerium exercuerat, scripsit Patrem Richter apud suos quadam sanctitatis fama gaudere ob singularem suam in celebrando et orando devotionem seque pro defuncto sollemnem de requie Missam cantasse.

Exorto post primum grande bellum novo Statu Cecoslovacchia, P. Richter hunc suorum laborum campum elegit, ut sua gentis filiis

¹ Cf. *Klemensblätter* 14 (1948), 12. Necrologium scripsit R. P. FRANC. HUSCHKA.

² Eius necrologium, a primo Analectorum Moderatore P. Francisco Přikryl ex-a-ratum, habes *Analecta IX* (1930), 317-327.

prodesset. Fuit igitur per breve tempus inter Sudeticos missionarius, tum Socius in iuvenatu et novitiatu, tum fere per decem annos in Philippsdorf novitiorum Magister. Quod Christus Dominus docuit: *Qui fidelis est in minimo, et in maiori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in maiori iniquus est* (Lc. 16,10), id P. Magister Richter alumnis suis vel magis exemplo quam verbis inculcabat. In vestitu eius totoque externo habitu nil erat nisi mundum et ordinatum. Punctualitas, quae dicitur, in eo erat plane singularis et eo magis admiranda, quod eodem tempore Sanctuario Mariano, tot peregerinorum piorum metae, operam suam sacerdotalem non subtrahebat. Reliquit ingentem copiam sermonum incredibili diligentia exaratorum et conscriptorum. Exigebat multa a suis novitiis, sed ipsi probe sciebant Magistrum a semetipso multo plura exigere.

Quoniam initio magni belli secundi (1939) novitiatus Vice-Provinciae de Karlsbad transferebatur vel potius mox suspendebatur, P. Richter praepositus est collegio Zwittau, in quo officio se distinxit bona sua cum clero saeculari amicitia et magno suo studio promovendi Congregationem Marianam. Currebant tempora luctuosa, et P. Rector cum magno suo dolore videre debuit domum nostram fere totam tempore belli alienis usibus adhibitam et bello finito derepente sua gentis filios in exsilium et summam miseriā detrusos. Tandem mense Iulio a. 1946 ipse quoque cum suis subditis hanc viam exsilii carpere coactus est.

Obediens suis Superioribus Mauternam se contulit, novitiatum ibi recons erectum moderaturus sueta sua habilitate ac diligentia. Saeculares ecclesiam nostram frequentantes mox admirari coeperunt hunc advenam Sudeticum, qui tam pulchre de beatissima Virgine praedicabat et ad altare angelicam pietatem manifestabat. Ipse parum conversabatur cum extraneis, sed eo libentius extranei ab eo suorum peccatorum veniam efflagitabant suaequ conscientiae moderamen.

Diu nemo suspicabatur Patrem Richter, vix 54 annos natum, morti adeo vicinum esse. Ipse indefesse et hilari animo, ut semper in vita, laborare pergebat. Verum iam aestate anni 1946 notabatur in eo difficultas respirationis, et postea apparuerunt symptomata paralysis infantilis, quae vocatur, ita ut in nosocomium transferendus esset. In ultimo hospitali Graecii reperit nosocomiam optimam, quae huius sacerdotis peculiarem curam habebat. Tamen ob loci angustias et infirmorum copiam bonus Pater cum aliis in magna aula iacebat. In hac quoque condicione nunquam oblituscebat se esse sacerdotem et dolorum socios voce exemplique ad Deum conducere satagebat. Si autem quis nostrorum confratri aegrotanti scribebat vel eum invisebat, semper experiebatur, quanta religione P. Richter exsequeretur monitum Apostoli: *Grati estote (Col. 3,15)*.

Finem huic vitae pretiosae posuit syncope cardiaca brevi post horam 11 diei 19 Dec. 1947, et notatu dignum est, quod ea hora integrum Of-

ficum divinum illius diei iam persolverat. Qui in vita nolebat diu Deum facere exspectare, ut ita dicam, tributum laudis, eum nec Deus — ita pie creditur — diu in purgatorio fecit exspectare visionem suam beatificam, et in paradiſo filium sacerdotem in aeternum coniunxit cum dulcissima matre, quae ante paucos menses, patriae exsul, ipsa quoque de mortua fuerat. Defletus P. Richter sepultus est in coemeterio Graz-Strassgang, ubi iam complures Redemptoristae iacent, et sepulcri curam pro tota sua vita in se suscepit illa nosocoma, quae hunc sacerdotem reli giosum curaverat indeque ingentem eius admirationem conceperat. Nunquam vero clarius, quid homo valeat, apparere solet quam in ultima infirmitate.